

semper absolutio a poena esset quid minus quam absolutio a culpa, non tamen semper (α) deceat quod cui committitur majus, committatur minus (δ) : quia absolutio a culpa in nullo casu potest esse nociva, nec impeditiva majoris boni; secus est de absolutione a poena. De hoc sanctus Thomas, 1<sup>a</sup> 2<sup>o</sup>, q. 87, art. 6, in solutione tertii, sic dicit : « Remota macula, sanatum est vulnus peccati quantum ad voluntatem. Requiritur autem adhuc poena ad sationem aliarum virium anime, que per peccatum præcedens deordinate fuerunt, ut scilicet per contraria currentur. Requiritur etiam ad restituendum æqualitatem justitiae, et ad removendum scandalum aliorum, ut ædificantur (γ) in poena, qui scandalizati sunt in culpa. » — Hæc ille. — Et multa alia contra argumentum adduci possunt.

Ad quartum, negatur minor. Nec valet probatio: quia, sicut dictum fuit prius (δ), in baptismo non sit relaxatio poenæ peccatis debitæ, sine satisfactione, immo cum sufficientissima satisfactione, per meritum et satisfactionem passionis Christi, que plenarie transfertur in baptizatum. Item, dato quod Papa, mediante sacramento, possit omnem poenam remittere, hoc non est nisi per completum sacramentum. Non est autem completum ultimata completione, nisi quælibet pars integralis sacramenti sit completa, scilicet contritio, confessio et satisfactio. Non est autem completa satisfactio, nisi poenitens per propria opera poenalia plenarie satisfaciat, vel alias pro eo, vel nisi satisfactio Christi et sanctorum sibi per indulgentiam applicetur ab eo qui potest.

De hoc multum bene ad propositum dicit Durandus (dist. 20, q. 3) : « Poena, inquit, peccato debita, tripliciter potest dimitti. Uno modo, ex mera gratia, quando offensus totam offensam et poenam offensæ debitam gratis remittit offendenti. Alio modo, quando aliquis poenam debitam solvit pro alio, ita quod poena non condonatur gratis, sed solvit per alium, de voluntate ejus qui fuit offensus. Tertio modo, quando partim remittitur, partim exsolvitur, quod fit quando magna poena pro modica remittitur. Primus modus et tertius videntur habere locum in indulgentiis, si attenderetur communis usus nominis. Tunc enim dicitur aliquis indulgere alteri delictum contra eum commissum, quando gratis et totaliter remittit culpam seu offensam et poenam pro culpa debitam, vel quando magnam poenam condonat pro modica. Quando autem tota poena exsolvitur per illum qui peccavit, vel per alium loco ejus (quod pertinet ad secundum modum), non dicitur esse indulta, sed soluta. Sed quia, secundum Hilarium (*de Trinitate*, lib. 4), non res sermoni, sed sermō

*rei debet esse subjectus*, ideo magis attendendum est ad veritatem rei quam ad proprietatem sermonis. Constat autem quod solus Deus potest gratis condonare totam poenam debitam peccato contra præcepta ejus commisso, vel partem poenæ; vel ille cui super hoc legitur dedisse potestatem. Non apparet autem quod Deus hanc potestatem dedit hominibus (quos solum fecit ministros novi testamenti, et dispensatores mysteriorum Dei), quod ipsi sine sacramentis, quorum sunt dispensatores, possint gratis condonare poenam pro peccatis debitam, vel partem ejus. Nec etiam mediantibus sacramentis: nam quando tota poena dimittitur in baptismo, vel pars poenæ, virtute clavium, in sacramento poenitentiae, non dicitur condonari; sed dicitur quod communicatur meritum passionis Christi, ad dimissionem totius poenæ in baptismo, vel ad dimissionem partis poenæ in sacramento poenitentiae; ita quod de merito poenæ Christi exsolvitur tota poena debita peccato, vel pars ejus. Et ideo communiter sequitur quod modus quo valent indulgentiae, est per modum solutionis poenæ peccato debite, etc. » — Hæc Durandus, et bene.

Et hæc sufficient ad argumenta contra conclusiones.

Ad argumentum contra questionem (α), patet responsio per predicta.

Et hæc de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

## DISTINCTIO XXI.

### QUÆSTIO I.

UTRUM PECCATUM VENIALE POSSIT EXPIARI  
QUOD CULPAM PER POENAM PURGATORII

SIRCA vigesimamprimum distinctionem  
4. Sententiarum, queritur: Utrum peccatum veniale possit expiari quoad culpam per poenam purgatorii.

Et arguitur quod non. Quia culpa actualis non deletur nisi per contritionem. Sed post hanc vitam non erit contritio, quæ est actus meritorius: quia tunc non erit meritum, nec demeritum; cum, secundum Damascenum (*de Fide Orth.*, lib. 2, cap. 4), hoc sit hominibus mors, quod angelis casus. Ergo post hanc vitam non dimittitur veniale in purgatorio quoad culpam.

(α) questionem. — conclusionem Pr.

(α) tamen semper. — Om. Pr.

(δ) majus, committatur minus. — minus, committatur majus Pr.

(γ) ædificantur. — ædificant Pr.

(δ) Cfr. art. present., II, ad primum.

In oppositum arguitur. Quia, 1. Corinth. 3 (v. 12), per lignum, foenum, stipulam, venialia intelliguntur. Sed lignum, foenum, stipula per purgatorium consumuntur. Ergo ipsae culpe veniales post hanc vitam remittentur.

In hac quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

### ARTICULUS I.

#### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio :** Quod culpa venialis, in eo qui cum gratia decedit, remittitur post hanc vitam in purgatorio.

Hanc ponit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 1, art. 3, q<sup>ta</sup> 1, ubi sic dicit : « Quidam dixerunt quod post hanc vitam non dimittitur peccatum quoad culpam; et sic cum mortali culpa quis decebat, damnatur, et remissionis capax non est. Non autem potest esse quod cum veniali decebat sine mortali; quia ipsa gratia finalis culpam purgat veniale. Veniale enim peccatum committitur ex hoc quod quis habens Christum in fundamento, nimis aliquid temporale diligit; qui quidem excessus ex concupiscentiae corruptione contingit; unde, si gratia omnino concupiscentiae corruptionem vincat, sicut in Beata Virgine fuit, non remanet aliquis locus veniali; et ita, cum in morte omnino diminuatur et annihiletur ista concupiscentia, potentiae animæ totaliter gratiae subjiciuntur, et veniale expellitur. — Sed haec opinio frivola est, et (2) in se, et in sua causa. In se quidem: quia dictis sanctorum et Evangelii adversatur, quæ non possunt exponi de remissione venialium quantum ad poenam, ut Magister dicit in littera; quia sic tam gravia quam levia in futuro dimittuntur; Gregorius autem (*Dialogorum lib. 4, cap. 39*) leves culpas tantum (6) post hanc vitam remitti prohibet. Nec sufficit quod dicunt, quod hoc dicitur specialiter de levibus, ne putetur nihil grave pro eis nos passuros, quia remissio poenæ magis auferat gravitatem penarum quam poñat. Quantum ad causam autem, apparet frivola: quia defectus corporalis, qualis est in ultimo vitae, non auferat concupiscentiae corruptionem, vel diminuit, quantum ad radicem, sed quantum ad actum; sicut patet etiam de illis qui graviter infirmantur. Nec iterum tranquillat potentias animæ

in tantum ut eas subjiciat gratiae: quia tranquillitas potentiarum, et subjectio earum ad gratiam, est quando inferiores vires obedient superioribus, que legi Dei condelectantur; quod in statu illo esse non potest, cum actus utrarumque impediatur; nisi tranquillitas dicatur privatio pugnae secundum quid, sicut etiam in dormientibus accidit; nec tamen propter hoc somnus dicitur concupiscentiam diminuere, aut vires animæ tranquillare, aut eas gratiae subdere. Præterea, dato quod concupiscentiam radiciter diminueret defectus ille; et vires animæ subderet gratiae, adhuc hoc non sufficeret ad dimissionem culpæ venialis jam commissæ, quamvis sufficeret ad vitationem futuræ: quia culpa actualis, etiam venialis, non remittitur sine actuali motu contritionis, ut dictum est, dist. 16 (q. 1, art. 2, q<sup>ta</sup> 3), quantumcumque habitualiter intendatur gratia; contingit autem quod aliquis dormiens moritur in gratia existens, qui cum veniali aliquo obdormivit; et talis non potest actum contritionis habere de veniali ante mortem. Nec potest dici, ut dicunt, quod si non poenituit actu vel proposito in generali vel speciali, quod sit versum in mortale, propter hoc quod veniale fit mortale dum placet. Quia non quilibet placentia venialis facit peccatum mortale (alias omne veniale esset mortale, quia quodlibet veniale placet, cum sit voluntarium); sed talis placentia que ad fruitionem spectat, in qua *omnis humana perversitas consistit, dum rebus utendis fruimur*, ut dicit Augustinus (*De diversis quæstionibus octoginta tribus*, q. 30); et sic placentia illa que facit peccatum mortale, est actualis placentia, quia omne peccatum mortale in actu consistit. Potest autem contingere quod aliquis, postquam veniale peccatum commisit, nihil actualiter de peccato cogitet dimittendo vel tenendo, sed cogitet forte quod triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, et in hac cogitatione obdormiat et moriatur. Unde patet quod haec opinio omnino irrationalis est. Et ideo cum aliis dicendum est, quod culpa venialis in eo qui cum gratia decedit, post hanc vitam dimittitur per ignem purgatorium; quia pena aliqualiter voluntaria, virtute gratiae habebit vim expiandi omnem culpam que simul cum gratia stare potest. » — Hæc ille. — Intelligendum tamen quod per illam poenam, sine pluri, non remittitur culpa venialis, nisi pro quanto est cum aliquo motu detestationis peccati venialis, explicite vel implicite. Et hoc intendit sanctus Thomas, ibidem, in solutione quarti argumenti, quod in principio questionis recitatum fuit: « Dicendum, inquit, quod post hanc vitam non potest esse meritum respectu premii essentialis; sed respectu alicujus accidentalis, potest esse; quādiu manet homo in statu viae aliquo modo. Et ideo in purgatorio potest esse actus meritorius quantum ad remissionem culpæ venialis. » — Hæc ille.

(2) et. — etiam Pr.

(6) tantum. — Om. Pr.

Eamdem conclusionem ponit, *de Malo*, q. 7, art. 11; cuius verba recitata fuere, dist. 16 (z). Unde, in fine responsoris, sic dicit : « Oportet dicere quod venialia remittuntur post hanc vitam, etiam quantum ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis. Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus tollit quidem impedimentum venialis culpæ, non tamen meretur absolutionem vel diminutionem pœnam, sicut in hac vita. » — Hæc ille.

Item, ibidem, in solutione noni argumenti, sic dicit : « Remissio peccati venialis in purgatorio, quantum ad pœnam, est ex parte pœnae purgatorii, quam homo patiendo exsolvit quod debet, et ita cessat reatus. Sed, quantum ad culpam, non remittitur per pœnam, neque secundum quod actu sustinetur, quia non est meritoria; neque secundum quod cogitatur; non enim esset motus charitatis quod aliquis detestaretur (6) peccatum veniale propter pœnam, sed magis esset (7) motus timoris servilis vel naturalis. Remittitur ergo veniale in purgatorio, quoad culpam, virtute gracie: non secundum quod est solum in habitu, quia sic compatitur peccatum veniale; sed prout exit in actum charitatis detestantis veniale peccatum. » — Hæc ille.

Ex quibus potest sic argui pro conclusione: Ad remissionem venialis sufficit actus charitatis detestantis veniale peccatum propter Deum. Sed talis actus potest esse in purgatorio. Ergo, etc.

Sed videtur in dictis sancti Thomas esse contra dictio: quia in *Scripto* dicit quod in purgatorio potest esse actus meritorius premii accidentalis; in *de Malo* vero negat omne meritum respectu cuiuscumque premii esse in purgatorio. — Dicitur quod in his non est magna contradicatio: quia, in *Scriptis*, accipit meritum large, pro quacumque dispositione ad donum gratiae vel gloriae, vel dignitate ad remissionem impedimenti gratiae vel gloriae; in questio-nibus *de Malo*, sumit meritum strictius, scilicet pro profectu vel augmentatione spiritualis boni aeterni, praesertim gloriae. Quod patet: nam, ibidem (q. 7, art. 11), arguit sic, sexto loco: « Eiusdem rationis esse videtur quod aliquis meretur premium essentiale vel accidentale, et quod ei remittatur peccatum; quia eadem ratione qua aliquis accedit ad unum oppositorum, recedit ab altero. Sed homo post mortem non potest mereri, neque premium essentiale, neque accidentale. Ergo, pari ratione, non potest percipere remissionem peccatorum venialium aut mortalium. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod meritum

gloriae essentialis, vel accidentalis, pertinet per se ad profectum spiritualem, qui est per augmentum spiritualis boni. » — Hæc ille. — Potest etiam dici quod solum intendit hoc dicere, scilicet quod post hanc vitam non est status merendi eodem modo, nec tot, nec tanta, nec talia, qualia in hac vita, nec univoce dicitur meritum hic et ibi.

**Secunda conclusio est quod peccatum ventale in Inferno nullo modo potest explari quoad pœnam.**

Hanc ponit sanctus Thomas, *de Malo*, q. 7, art. 10, ubi sic dicit: « Ea ratione culpe debetur pœna, quia culpa ordinatur per pœnam. Homo enim peccando, propria voluntate divinae justitiae ordinem praetermisit. Qui quidem hoc modo reparatur, per hoc quod fit de hominie justitia, dum contra suam voluntatem punitur secundum Dei voluntatem. Respondet autem perpetua pœna peccato mortali secundum ordinem divinae justitiae, et ex ipsa specie peccati, et ex inherentia illius ad subjectum. Ex specie quidem peccati: quia peccatum mortale est directe contra charitatem Dei et proximi, per quam peccati pœna dimittitur. Qui autem contra aliquid peccat, ex hoc ipso meretur ejus beneficio privari: sicut, in rebus humanis, qui contra rem publicam peccat, hoc ipso in perpetuum societate reipublice privatur, vel perpetuo exilio, vel morte; in qua, ut dicit Augustinus, 21, *de Cœitate Dei*, non pensatur pœna temporis qua quisque occiditur, sed potius quod per mortem in aeternum civitatis beneficio privatur, quamvis culpa commissa forte fuerit momentanea, aut brevi tempore perpetrata. Unde et ille qui mortaliter peccat, inquantum contra charitatem peccat, hoc meretur ut remissione privetur, que est effectus charitatis; et si Deus aliquando remittit, non est ex merito hominis, sed ex misericordia sua. Ex parte vero inherentiae ad subjectum, peccatum mortale perpetuum pœnam meretur. Quia privat hominem gratia, per quam fit remissio peccatorum. Peccato autem manente, non solvitur pœna, quia in operibus Dei nihil potest esse inordinatum. Et ideo, sicut homo qui se in peccato properet, unde per se nati posset exire, quantum est in ipso, faceret ut in perpetuum esset ibi; ita etiam qui mortaliter peccat, quantum in ipso est, se in pœnam aeternam inducit. Veniale autem peccatum, cum non sit contra charitatem, non meretur pœnam perpetuam ex specie peccati; nec ex parte inherentiae ad subjectum, per se loquendo, quia non privat gratia; sed per accidens fit irremissibile, peccato mortali conjunctum, inquantum est in subjecto privato gratia; et sic per accidens punitur pœna aeterna. » — Hæc ille.

Eaudem ponit, praesenti distinctione, q. 1, art. 2, in solutione tertie questio[n]ue, ubi sic dicit:

(z) Cf. dist. 16, q. 1, art. 3, 1, ad 1<sup>um</sup>.

(6) *detestaretur*. — *detestetur* Pr.

(7) *esset*. — *est* Pr.

¶ Culpa non potest ordinari nisi per poenam: quia Deus nihil inordinatum relinquit; ideo nunquam culpani sine poena Deus dimittit. In illis autem qui damnantur, non potest aliqua culpa dimitti, nec aliquis reatus tolli; cum careant charitate, per quam et culpa purgatur, et reatus tollitur (z). Et ideo culpa venialis in eis semper manebit; vel reatus ejus, etiam si ante peccatum mortale veniale dimissum fuisset quoad culpam, manente reatu. Et, propter hoc, damnati de venialibus aeternaliter punientur. » — Haec ille.

Similia dicit in multis locis.

Ex quibus potest formari talis ratio: Omne peccatum irremissibile quoad culpam, per se, vel per accidens, aeternaliter punietur. Sed venialia damnatorum sunt irremissibilia. Ergo, etc.

Et iuri hoc primus articulus terminatur.

## ARTICULUS II.

### PONUNTUR OBJECTIONES

#### § 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

**I. Argumenta Durandi.** — Quantum ad secundum articulum, arguendum est contra conclusiones. Et quidem contra probationem primo conclusionis arguit Durandus indirecte. Ait enim sic (dist. 21, q. 1): Scindimus quod in peccato mortali sunt tria: scilicet deordinationis actus, in qua consistit macta, sicut in deordinatione membra corporalis consistit turpitudine corporis; privatio gratiae, que dicitur offensa; et reatus poene. Haec autem tria sunt in peccato veniali, praeter privationem gratiae. Dicitur ergo peccatum remitti quoad culpam, quando reordinatur actus voluntatis per debitam displicantiam; quoad offensam, quando gratia restituatur; sed quoad reatum poenam, quando poena condonatur vel solvitur. Dicendum ergo quod culpa mortalis, nullo modo potest dimitti post hanc vitam: nec venialis, si sit cum mortali. Venialis tamen, si sit sine mortali, potest post hanc vitam dimitti.

Primum sic patet. Voluntas in malo obstinata non potest in actu suo reordinari, ita ut velit bonum, et bene. Sed voluntas decadentium cum peccato mortali, est in malo obstinata, tam in hominibus quam in angelis, ut communiter ponunt doctores. Ergo non potest reordinari, ut velit bonum, et bene. Sed aliter non dimittitur peccatum quoad culpam, nisi quia voluntas reordinetur. Ergo, etc.

Et quia aliqui dicunt quod voluntas damnatorum hominum et angelorum potest velle bonum moris ex genere et circumstantiis, licet tale velle non possit esse meritorum, proper statum in quo sunt;

(x) tollitur. — Om. Pr.

ideo additur secunda ratio talis: Ille qui est in suo fine et termino, non potest facere aliquid quod ordinetur ad consecutionem finis vel termini contrarii. Sed decadentes in mortali statim sunt in suo fine et termino, scilicet in inferno, qui est extremus terminus damnatorum, sicut paradisus est extremus terminus beatorum. Ergo non possunt facere aliquid quod ordinetur ad consecutionem finis. Sed dimissio culpe ad hoc ordinatur. Ergo, etc.

Secundum sic probatur. Quia ad dimissionem culpe venialis sufficit reordinatio voluntatis per debitam displicantiam; et hanc possunt habere existentes in purgatorio, cum non sint obstinati in malo, sed sint in charitate, nec sint totaliter in termino, sed extra. Ergo in eis potest remitti peccatum veniale quoad culpam. — Haec Durandus. In quibus videtur velle quod ad dimissionem venialis quoad culpam sufficit displicantia, dato quod non informaretur charitate, sicut supra dixerat, dist. 16 (z), quod veniale potest remitti in via, mortali non remisso. Et ad hoc amplius discutiendum mota est questio.

**II. Argumentum aliquorum.** — Contra eamdem conclusionem arguunt aliqui (apud Petrum de Palude, dist. 21, q. 1), scilicet quod nulla culpa venialis renittatur in purgatorio, sed in via solum. Quia decadens in gratia, cum moritur: aut recolit de veniali; aut non. Si recolit actu, et penitent, culpa dimittitur; si non penitent, peccat mortaliter, quia eligit a gloria retardari. Si vero non recolit: aut sic est dispositus, quod, si recoleret penitent, et tunc dimittitur; aut non penitent, et sic mortaliter peccat.

#### § 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

**I. Argumenta cuiusdam.** — Contra secundam conclusionem arguitur quodam (apud Petrum de Palude, dist. 21, q. 1).

**Primo** (z). Quia volens malum simpliciter, potest velle bonum secundum quid. Et si homo (y) adhaerens bono fini per charitatem firmiter, potest nihilominus peccare venialiter; et sic e converso, adhaerens firmiter malo fini, potest secundum quid velle bonum, et sic penitere de veniali.

Confirmatur ratio. Quia magis est dare sumnum bonum quam sumnum malum. Si ergo adhaerere summo bono compatitur malum imperfectum, multo magis erontra adhaerere summo malo compatitur bonum imperfectum.

**Secundo.** Videtur quod necessaria adhaerentia

(z) Cfr. dist. 16, art. 2, 1.

(y) *Primo.* — Om. Pr.

(y) *Et si homo.* — *sicut Pr.*

non plus faciat quam voluntaria, quandiu est voluntaria. Sicut enim illud quod est necessario album, non potest esse nigrum; sic illud quod est voluntarie album, quandiu vult esse album, non potest esse nigrum. Quod si per voluntatem potest simul esse album et nigrum, pari ratione, si per necessitatem est album, nihilominus cum hoc poterit esse nigrum: quia contrarietas non causatur ex necessario et voluntario, sed ex natura rei intrinseca; quia contrarietas est differentia secundum formam. Cum ergo voluntarie adhaerens bono fini possit velle malum secundum quid, sicut justus in via potest peccare venialiter, et econtra adhaerens voluntarie malo fini facere bonum secundum quid, id est, ex circumstantiis, sicut infidelis; ergo, quando sunt in termino cui necessario adhaerent, et beati possunt peccare venialiter, et damnati pernitere de veniali.

**Tertio.** Arguitur contra quoddam contentum in probatione conclusionis, scilicet quod peccatum veniale non potest dimitti quoad penam, nisi dimittatur quoad culpam. Contra hoc potest dubitari. Quia, si nihil aliud impedit nisi defectus gratiae, qui impedit penam mortalis solvi, culpa durante; existens autem (z) in solo veniali habet gratiam, et bona ejus penalia sunt Deo accepta et grata. Alter non videtur quod aliqui adulti possent evolare: quia omnes habent multitudinem venialium (quia septies in die cadit justus), que quidem in momento mortis possunt deleri quoad culpam; si autem restet solutio penae, diu stabunt in purgatorio; et sic non evolabunt: nisi dicatur quod prius satisfecerunt; et tunc remissio penae praecessisset remissionem culpe; quod est propositum, et contra conclusionem.

**II. Argumenta Scoti.** — Contra eadem conclusionem arguit Scotus (dist. 21, q. 4), probando quod peccato veniali nullo modo debeatur pena aeterna, nec per se, nec per accidens. **Et quidem** quod non per se, probat tripliciter.

**Primo** sic. Quia non stat cum charitate debitum penae aeternae. Sed cum charitate stat veniale, non tantum non deletum post actum, sed etiam actualiter commissum; secundum omnes. Ergo, etc. Probatur major. Quia per charitatem est aliquis dignus vita aeterna. Si ergo cum hoc stat debitum penae aeternae, vel ad penam aeternam, ergo aliquis est dignus simul vita aeterna et pena aeterna. Sed hoc est impossibile: quia nullus potest esse debitor penae pro instanti pro quo est ordinatus ad gloriam, quia tunc simul possent stare gloria et aliqua pena. Probatur secundo eadem major. Quia, post actum peccati mortalis, nihil manet de peccato, nisi debitum penae. Ergo, si debitum penae aeternae posset stare cum gratia, peccatum mortale non remissum

(z) existens autem — quia existens Pr.

posset stare cum gratia, eo modo quo manet; et tunc idem esset amicus et inimicus.

**Secundo.** Quia essentialis pena. damnatorum non est pena sensus, sed damni. Illa autem necessario concomitatur quamcumque penam; quia nulla pena potest stare cum beatitudine. Ergo debitum ad quamcumque penam aeternam includit debitum ad penam aeternam damni; et, per consequens, ad penam essentialis damnationis. Sed ista non correspondet veniali.

**Tertio.** Quia peccatum veniale et mortale sunt improportionabilia in ratione malitie, vel offensae: quia infinita venialia, si essent, non aequaliter ini mortali in ratione offensae; quia nec omnia ista averterent a fine ultimo, sicut unum mortale. Ergo pena secundum justitiam correspondens mortali, improportionabiliter et in infinitum excedit penam debitam veniali. Sed non improportionabiliter et infinitum intensive excedit; quia qualibet pena secundum intensionem finite solum excedit vel exceditur ab alia. Ergo hoc erit secundum extensionem. Ergo non debetur veniali de per se pena aeterna.

**Secundo** arguit quod nec per accidens debeatur sibi pena aeterna, quando conjungitur mortali. Quia Deus semper punit circa condignum. — Et esto quod simpliciter secundum rigorem puniret usque ad condignum, omnino injustum esset pergam aeternam infligere pro illo cui secundum se debetur pena temporalis. Quantumcumque enim conjungatur alteri, hoc non facit illud in infinitum exire illud genus culpe. Ergo non juste correspondet sibi pena in infinitum excedens. — Hac Scotus, in forma,

Et in hoc secundus articulus terminatur.

### ARTICULUS III.

#### PONUNTUR SOLUTIONES

##### § 1. AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

**I. Ad argumenta Durandi.** — Quantum ad tertium, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem, ad dicta Durandi, dicitur quod suum preambulum aliqua falsa continet. « Primum est, quod culpa et macula sunt idem. Hoc enim non videtur verum. Quia privatio omnis pulchritudinis dicitur et est formaliter macula. Unde, cum gratia sit nitor anime, privatio gratiae potest dici macula, et non solum ipsa deordinatio actus. — Item, ubi nullus est actus, ibi nec ordinatio nec deordinatio actus. Sed in peccato omissionis nullus est actus, sed privatio actus debiti; et tamen est ibi culpa et macula, quia non habet debitam pulchritudinem.

Ergo oportet quod per deordinationem actus intellegat etiam privationem actus.

« Secundum falsum, est quod offensa non est nisi privatio gratiae. Hoc enim non videtur verum. Quia sic in veniali, per quod non privatur gratia, nulla esset offensa, sicut ipsi dicunt. Sed hoc videtur falsum, quia est ibi levis offensa. — Item, per secundum peccatum mortale non privatur gratia actu, sed solum aptitudine. Ergo, si offensa Dei non est nisi privatio gratiae, in solo primo peccato mortali est offensa actu, ubi solum est privatio gratiae actu; in aliis autem non esset offensa, nisi solum aptitudine. — Item, secundum Durandum, in Deo non eadit offensa secundum affectum, sed solum secundum effectum, qui est punitio. Quod utique verum est, nisi secundum præscientiam et prædestinacionem, qua odit præscitos, et diligit prædestinatos; item secundum præsentem justitiam, eo modo quo dicitur Deus pœnitentia placari, et culpa offendit; sicut dicitur aliquem scribere in libro vite de novo per pœnitentiap, et delere de novo per culpam. — Item, si, secundum arguentem, offensa Dei non est nisi punitio Dei; ergo non solum privatio gratiae, sed etiam obligatio ad pœnam, et executio in purgatorio vel inferno, dicetur offensa. Et tunc remittetur peccatum quoad offensam, quando pœna in purgatorio solvitur, quia tunc punitio Dei amovetur; vel quando a flagello Deus cessavit in hac vita, et quando (z) pœna debita secundum judicium Dei tollitur vel diminuitur; quia tandem Deus videtur iratus, quandiu punit vel punire intendit, tenens hominem in reatu pœnæ: ita quod sicut in restituitione gratiae est remissio offensæ, quia per hoc Deus se habet ad modum reconciliati, quia reddit bonum quod ad modum irati abstulerat; sic quando removit malum quod ad modum irati intulerat. — Si dicatur quod privatio gratiae pro tanto magis dicitur offensa quam alia pœna, quia est major pœna quam quaecunque alia; — licet hoc sit verum de pœna hujus vite, saltem pœna inferni damni, quae est privatio gloriae, et pœna sensus aeterna, cum includat etiam istam, est major pœna; ergo magis debet dici offensa. Non ergo bene dicitur quod sola privatio gratiae sit offensa peccati. — Item, idem sunt offensa et ira, sicut offensus et iratus. Sed simul stant ira Dei et gratia: quia sicut homo aliter irascitur hosti quem vult exterminare, et aliter filio quem vult castigare, est etiam ira per zelum ad hominem quem diligimus; sic Deus non solum irascitur malis quos vult exterminare, sed bonis quos vult castigare, juxta illud (3. *Regum* 8, v. 46 et 50), *Irasceris..., et propitius eris* (6). Et ira Dei est ad illos quij sunt in purgatorio, qui tamen sunt

in gratia et in peccato veniali, ubi est aliqua offensa, licet leve. Unde posset dici quod illud idem quod est in peccato reatus respectu peccantis, est offensa respectu Dei. Unde offensa Dei non est aliud quam voluntas et propositum puniendi. Sed offensa gravis, est propositum inferendi pœnam aeternam, vel sensus, vel etiam damni, juxta illud (*Ephesior.* 2, v. 3): *Eramus natura filii iræ.* Et sic diceretur offensa in Deo, non solum per effectum, sed etiam secundum affectum. Qui affectus mutatur non secundum quod in se est, sed secundum quod relatione rationis comparatur ad nos: Quamdiu enim homo est obligatus ad pœnam, Deus vult eum punire; quamcito est liberatus a reatu pœnæ, Deus non vult plus eum punire (z); et est una et eadem voluntas non mutata, qua vult modo punire, et vult modo punisse et non punire. » — Haec omnia sunt dicta Petri de Palude (dist. 21, q. 1). Et concordant cum his que super eadem materia dicta fuerunt, dist. 16, q. 1.

Tertio principaliter, dicitur quod secunda ratio quam Durandus adducit ad probandum primum dictum, vel primam conclusionem suam, pati potest caluminiam. « Quia, ut dicit Petrus (ibid.), licet existens in termino non possit moveri ad illum terminum quem habet, tamen existens in termino violento potest moveri ad terminum oppositum naturalem: sicut leve existens in centro, movetur sursum; et grave existens sursum, movetur deorsum. Unde, cum homo naturaliter fugiat miserem, et appetat beatitudinem, licet existens heatus non possit agere aliquid ex quo fiat miser (sicut ignis existens sursum; non movetur deorsum, nec terra econtra). Liberum autem arbitrium non potest cogi ad hoc quod naturaliter appetit, nec ad illud quod naturaliter fugit. — Item, finis et bonum sunt idem. Et quamvis habeat rationem ultimi, non tamen omne ultimum est finis, sicut mors, quia non est quid bonum. Ita et hi qui sunt in inferno, etsi in ultimo termino sunt, non tamen sunt in fine suo, quia non sunt in bono; et quia adhuc distant a fine, semper moventur ad finem, et desiderant finem. Nisi dicatur quod sicut grave existens ultra coelum, non moveretur ad centrum, cessante influentia coeli super ipsum; sic in proposito: quia de orbe transferet eum Deus; unde, subtracta influentia primi agentis, quam subtractionem incurrit damnatus, non movetur ad bonum. »

Hac Petrus.

Mili videtur quod nec ratio Durandi, nisi addatur, sufficienter concludit. Et similiter, quod Petrus aliqua falsa dicit in sua impugnatione. Quod enim

(z) quando, — quandoque Pr.

(6) In Vulgata legitur: *Irasceris tradideris ergo..., et propitiaberis.*

(a) a verbo quamcito usque ad punire, om. Pr.

ratio Durandi non bene concludat, satis bene ostendit Petrus : quia damnatus, per hoc quod est in inferno et extrema miseria poene, non adhaeret immobiliter tali miseriae quasi ultimo fini; immo summe odit eam; nec impeditur per hoc a desiderio beatitudinis opposita, vel mediorum ad ejus consecutionem. Sed oportet addere praedictae rationi, quod damnatus tanquam fini ultimo adhaeret alicui perverso fini, contrario fini omnium rectarum voluntatum, puta quia fruatur seipso; et omnia que vult deliberate et elective, refert ad illum finem, vel saltem non refert actu vel habitu ad rectum finem; et sic in omnibus que elective et deliberate vult, peccat, prout ostendit sanctus Thomas, dist. 50 hujus *Quarti*, q. 2, art. 1, q<sup>ta</sup> 1, ubi sic dicit: « In damnatis potest duplex voluntas considerari : scilicet voluntas deliberativa, et voluntas naturalis. Naturalis quidem non est eis ex seipsis, sed ex auctore (z) naturae, qui in natura posuit hanc inclinationem, que naturalis voluntas dicitur. Unde, cum natura in eis remaneat, secundum hoc bona poterit in eis esse voluntas naturalis. Sed voluntas deliberativa, est eis ex seipsis, secundum quod in potestate eorum est inclinari per affectum ad hoc vel illud. Et talis voluntas in eis est solum mala. Et hoc ideo, quia sunt perfecte aversi a fine ultimo (z) recte voluntatis; nec aliqua voluntas potest esse bona, nisi per ordinem ad finem predictum; unde, etiam etsi aliquod (z) bonum velint, non tamen bene volunt illud, ut ex hoc voluntas eorum bona dici possit. » — Hæc ille. — Et, in secunda questiuonula (z) ostendit quod « damnati non penitent de peccatis perse, quia voluntas malitia peccati in eis remanet; sed per accidens, inquantum affliguntur de pena quam pro peccato sustinent. » Item, 4. *Contra Gentiles*, cap. 95, sic dicit : « Anima est in statu mutabili quamdiu corpori unitur, non autem postquam fuerit a corpore separata. Dispositio enim animæ movetur per accidens, secundum aliquem motum corporis deservientis animæ ad proprias operationes : ad hoc enim naturaliter datum est ei, ut, in ipso existens, perficiatur quasi ad perfectionem mota. Quando ergo erit a corpore separata, non erit in statu ut moveatur ad perfectionem, sed ut in fine adepto quiescat. Immobilis ergo erit voluntas ejus quantum ad desiderium ultimi finis. Ex ultimo autem fine dependet tota bonitas vel malitia voluntatis : quia bona quaecumque aliquis vult in ordine ad bonum finem, bene vult; male autem quaecumque in ordine ad malum finem. Non est ergo voluntas animæ separatae mutabilis de bono in malum, vel econtra; licet sit mutabilis de uno

volito in aliud, servato tamen ordine ad eundem ultimum finem. » — Hæc ille. — Ex quibus apparet causa impenitentiae damnatorum, et insufficiencia rationis Durandi; et quod Petrus falsum dicit, si intendat asserere quod in damnatis nulla est naturalis inclinatio voluntatis ad bonum, nec aliqua bona volitio qualicumque bonitate. Hoc enim falsum est, ut prius patuit.

Quarto, dicitur contra Durandum, quod ad peccati venialis dimissionem, non sufficit qualiscumque reordinatio voluntatis, nec in hoc saeculo, nec in purgatorio; sed solum illa que est contritio formata per gratiam, aut alius actus charitatis contritionem virtualiter includens. De hoc sanctus Thomas, *de Malo*, q. 7, art. 10, ubi arguit sic, sexto loco : « Contingit quandoque quod aliquis, in peccato mortali moriens, penitet de aliquo veniali commisso, mutans in hac vita voluntatem suam quam habuerat de peccando venialiter. Sed in eadem voluntate renianet anima, in qua de hoc corpore exil. Ergo non erit in eo qui sic decedit, peccatum veniale post mortem. Non ergo pro eo aeternaliter punietur. » Ecce argumentum. Sequitur responsio. « Dicendum, inquit, quod peccatum, postquam transit actu, potest manere reatu; quem non tollit qualibet mutatio voluntatis, sed solum illa quam charitas operatur. » — Hæc ille. — Ex quo patet quod probatio Durandi est insufficiens; quia ad remissionem peccati venialis non sufficeret disiplentia illius peccati, nisi adasset gratia.

**II. Ad argumentum aliquorum.** — Ad objecta aliorum contra eamdem conclusionem, dicitur quod illud argumentum patitur multiplicem calumniam, sicut ostendit Petrus (dist. 21, q. 4), dicens quod « duo ultima membra divisionis ibideam posita, sunt falsa. Dispositio enim habitualis bona nunquam delet culpam, nisi adjuncta actuali displicantia aliqua. Et similiter, dispositio habitualis mala nunquam facit peccatum, cum illud in actu et non in habitu consistat; nisi quando conjungitur actui; sicut si quis cognoscens uxorem propter voluptatem, paratus esset habitu idem facere cum non sua. Similiter non omnis penitentia de veniali delet peccatum ipsum, quia potest esse nimis imperfecta. — Item, si non vult penitere pro nunc, non propter hoc peccat mortaliter : non enim tenetur homo plus peccatum expiare quam vitare; unde, si sine mortali potest homo non vitare veniale, ita sine mortali potest non penitere de veniali. Et haec ratio valet ad probandum quod non est necesse venialia confiteri, cum nec sit necesse ipsa non committere, nec per consequens expiare, et multo minus isto vel illo modo expiare. Videretur autem posse tolerari (z) dictum aliquorum, quod scilicet non plus

(z) auctore. — auctore Pr.

(z) in eis est solum mala. Et hoc ideo, quia sunt perfecte aversi a fine ultimo. — est in eis volunt Pr.

(z) aliquod. — aliud Pr.

(z) questiuonula. — conclusione Pr.

(z) tolerari. — colorari Pr.

retardetur quis a gloria per culpam cum pena, quam per solam pœnam. Quia non plus est in tempore cum instanti, quam in tempore sine instanti: sicut non est major linea cum quatuor punctis quando est divisa, quam primum esset cum duobus tantum quando erat indivisa; quia indivisible additum divisibili non reddit ipsum majus. In illo autem instanti quo anima de corpore egreditur, toto conatu de omnibus peccatis dolet; et per consequens omnis culpa sibi remittitur, et illo toto tempore residuo pro sola pœna torquetur. Et sive (2) in illo instanti est in purgatorio, sive non, nihil refert, cum instans non addat ad durationem. Unde tamdiu est ibi sine culpa, cum pœna sola, quamdiu si esset cum utroque, et pro utroque; cum propter culpani non sit ibi nisi per solum instans. — Sed ad hoc dicendum est quod, licet non sit ibi plus de tempore cum instanti primo vel ultimo, quam sine eo; tamen, si culpa esset dimissa ante instans mortis, esset diminutum aliquid de pœna, quod non est quando est dimissa in instanti mortis. Diceret etiam aliquis, quod non oporteret in illo instanti quod omnis culpa dimittatur, cum possit habere tantum multitudinem venialium quod nullo uno actu est sufficiens displicantia quoad omnia, et sic secundo vel tertio actu displicantiae delebuntur. — Item, alicui posset videri quod pœnitentia de veniali tolleret omnem reatum. Quia plus distat pœna æterna a temporali, quam pœna temporalis a non pœna, positive loquendo; quia plures gradus pœnalisatis ponit pœna æterna supra temporalem, quam includat temporalis, cum infinites quilibet pœna temporalis includatur in æterna. Si ergo pœnitentia de mortali consumit illam æternitatis, et sic quasi infinitas pœnas temporales, multo magis pœnitentia de veniali consumit totam pœnam temporalem. — Sed hoc non valet. Quia pœnitentia de mortali non absolvit per se a pœna æterna, sed per accidens, inquantum scilicet restituit amicitiam, cum qua non stat pœna exterminans, quia nullus amicus vult semper separari ab amico; sed de temporali pœna diminuit secundum quantitatem contritionis, sive in mortali, sive in veniali. Sed pœnitentia in purgatorio, vel nihil diminuit de pœna, vel minus quam pœnitentia in hæc vita: cum in hæc vita sit pœnitentia magis fructuosa quam in alia; immo, respectu mortalis, in alia vita non est fructuosa. Ergo plus retardatur a gloria qui non pœnitet hic de veniali, quam qui pœnit. — Ad argumentum ergo dicendum quod velle retardationem glorie, non est de se mortale: quia velle ad tempus separari ab amico, non est contra amicitiam. Unde velle longam vitam, etiamsi homo advertat quod per hoc retardatur a vita beata, non est propter hoc mortale. Non enim omnis charitas cupit dissolvi et esse

cum Christo; sed perfecta charitas; alia autem non. Nec hoc est solum propter inajus meritum, sed etiam quia non vult expoliari, naturaliter fugit mortem. Sed velle perpetuari in hæc vita, non est sine mortali. Velle autem prolongari propter delicias, non est sine veniali. Non ergo verum dicunt, quod tantum retardat sola pœna quantum culpa et pœna, si accipiatur respectu ejusdem culpæ. » — Hæc Petrus, et bene, et conformiter quoad aliqua sancto Thomæ, *de Malo*, q. 7, art. 11, ubi arguit sic, decimo sexto loco: « Quando est aliquid magnum bonum quod differtur, et imminet magnum malum, excitatur intensive desiderium ad consequendum bonum et evitandum malum. Sed animæ separatae, quæ est purgatorio obnoxia, imminet magnum malum, scilicet acerba pœna purgatorii; et differtur a maximo bono separato, scilicet a vita æterna. Ergo statim excitatur in ea fervens desiderium. Sed fervor charitatis non compatitur secum veniale. Ergo in purgatorio anima separata veniale habere non potest. Non ergo potest veniale peccatum in purgatorio remitti. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod illa ratio non concludit quod peccatum veniale in purgatorio non remittitur, sed quod statim ibi remittitur. Et hoc satis videtur probabile. » — Hæc ille.

Videtur tamen falsum esse ultimum quod dicit Petrus, scilicet quod non omnis charitas cupit dissolvi et esse cum Christo. Nam sanctus Thomas, in *de Virtutibus*, quest. *de Charitate*, art. 11, arguit sic, octavo loco: « Quicumque habet charitatem, plus amat vitam æternam quam vitam temporalem. Sed quilibet homo tenetur ad actus charitatis: Ergo quilibet homo tenetur ad hoc quod vitam æternam præeligat vitæ temporali. Sed, sicut Augustinus dicit (in 1<sup>am</sup> Epist. Joan., tract. 5), charitas, cum ad perfectionem venerit, dicit: *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp.* 4, v. 23). Ergo quilibet tenetur habere perfectam charitatem. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod in homine sunt duo affectus: unus charitatis, quo anima desiderat esse cum Christo; aliis autem naturalis, quo anima fugit separari a corpore; qui *adeo est homini naturalis, quod eum Petro nec senectus abstulit*, ut Augustinus dicit, super Joannem (tract. 123). Ex conjunctione ergo horum duorum effectuum vult anima sic conjungi Deo, quod non separetur a corpore, secundum illud Apostoli, 2. *Corinth.* 5 (v. 4): *Nolumus expoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur quod mortale est, a vita.* Sed quia hoc est impossibile (*quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur a Domino*, ut ibidem (v. 6) subditur), insurgit quidem contrarietas inter prædictos affectus. Et quanto charitas est perfectior, tanto sensibilius affectus charitatis vincit affectum nature. Et hoc ad perfectionem charitatis pertinet. Unde et Apostolus, ibidem (v. 8),

(2) sive. — si Pr.

subdit : *Audemus autem et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.* Sed in his in quibus charitas est imperfecta, etsi affectus charitatis vincat, tamen, ex repugnancia naturalis affectus, redditur insensibilis victoria charitatis. Quod ergo aperte et indubitanter, sive audacter, ut Apostolus dicit, dicat, *Cupio dissolvi et esse cum Christo,* hoc perfectae charitatis est. Sed quod qualitercumque, licet insensibiliter, preferat anima fruitionem Dei unioni corporis, est de necessitate charitatis. — Haec ille. — Et similia dicit, 2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 24, art. 9, in solutione tertii. — Potest tamen dictum Petri concordari cum dictis sancti Thomae : ut dicatur quod qualibet charitas, sive incipiens, sive proficiens, sive perfecta, cupit dissolvi et esse cum Christo, voluntate antecedente, non autem voluntate consequente; vel voluntate conditionata, non autem voluntate absoluta; vel voluntate ut est natura, non autem voluntate ut est ratio vel rationationem sequens; et multis aliis modis; si tamen dictum Petri tenere debeat in hac parte.

Unde Durandus facilius se expedit de hoc argumento, et satis concorditer sancto Thomae. Dicit enim (dist. 21, q. 1) quod « nec positio illa, nec ratio sua valet. Quia contingit aliquem in charitate existentem cum multis venialibus, obdormire, et dormiendo mori. In tali autem, non paenitere de peccato veniali nullum novum peccatum est; cum pro tune non (z) sit in potestate ejus paenitere. Ergo aut talis damnabitur, aut salvabitur. Non damnabitur, cum sit in charitate. Nec salvabitur, nisi dimissa culpa veniali, quam secum portavit. Ergo necesse est quod culpa venialis post hanc vitam dimittatur. — Nec ratio aliorum cogit. Quia qui in fine non paenitet de peccato veniali, aut (6) quia de illo non recolit, aut, si de illo recolit, non tamen paenitet, non oportet quod peccet mortaliter. Et cum probatur quod talis videtur velle dilationem sue gloriae; — non est verum. Quia, si dilatio glorie sequatur ad commissione culpe venialis, non tamen oportet quod sit volita, vel cognita. Item, nec propter hoc differtur gloria: quia in purgatorio simul cum solutione pena potest culpa dimitti; et ita tantum retardat sola pena, quantum simul culpa et pena. » — Haec Durandus, et bene, preter ultimum, quod sufficienter improbavit Petrus supra.

Ex quibus patet ad argumentum. Quia assumit sex falsa. Primum est quia supponit quod moriens cum charitate et venialibus semper vigilet, aut sit in statu utendi ratione. Secundum falsum est quod quicunque, in articulo mortis, recolens de veniali, et non actualiter de ipso paenitens, peccet mortali-

liter. Tertium est quod sola habitualis dispositio constitutac ac diluat peccatum. Quartum est quod quicunque non paenitet de veniali in mortis articulo, eo ipso velit retardari a gloria. Quintum est quod, in omni casu, volens retardari a gloria, peccet mortaliter, qualicumque modo velit illam retardationem, scilicet vel in se, vel in sua causa, vel in suo antecedente, explicite vel implicite, vere vel interpretative, etc. Sextum est quod quaecumque paenitentia delect veniale, quantumcumque debilis vel remissa sit. Et multa alia falsa continet.

### § 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. **Ad argumenta cuiusdam.** — **Ad primum** contra secundam conclusionem, respondet Petrus (dist. 21, q. 1), dicens quod « adhaerens malo fini potest velle aliquod bonum, nisi sit tali adhaesione oppositum. Sic autem est in daminatis, qui perfecte adhaerent odio Dei, quia odiunt quidquid ille diligit. Unde eligunt de nullo paenitere, quia sciunt paenitere Deo esse placitum. — Quod autem veniale sine mortali non possit remitti, dictum est, dist. 16. » — Haec Petrus, et bene. — Et potest confirmari per dicta beati Thomae. Ipse namque dicit, *de Malo*, q. 7, art. 11, in solutione septimi, quod « anima post mortem transit in aliud statum angelis conformem. Unde eadem ratione non potest peccare venialiter, sicut nec angelus. » — Haec ille. — Cur autem angelus non potest peccare venialiter, ostendit, eadem questione, art. 9, dicens : « In angelo bono vel malo peccatum esse non potest veniale. Cuius ratio est, quia angelus non habet intellectum discursivum, sicut nos habemus. Hoc autem pertinet ad rationem intellectus discursivi, ut principia seorsum interdum consideret, et conclusiones seorsum; et sic contingit quod ab uno intellectu in aliud discurrat, nunc hoc, nunc illud considerans. Haec autem discursio in intellectu deiformi esse non potest; sed semper conclusiones considerat in ipsis principiis, absque omni discursu. Dictum est autem (*de Malo*, q. 2, art. 6, arg. 13) quod sic se habet finis ad ea quae sunt ad finem in appetibilibus et operativis, sicut se habet principium ad conclusiones in demonstrativis. Unde in nobis contingit quod cogitamus vel affieimur circa ea quae sunt ad finem tantum, et quandoque solum circa finem. Quod in angelis esse non potest, sed semper motus mentis angelicae simul fertur in finem et ea quae sunt ad finem. Unde nunquam in eis potest esse deordinatione circa ea quae sunt ad finem, nisi simul existente deordinatione circa finem ipsum. In nobis autem contingit esse deordinationem circa ea quae sunt ad finem, per peccatum veniale, mente hominis habitualiter existente firma in fine. Et ideo in hominibus contingit esse peccatum veniale sine mortali;

(z) *non.* — Om. Pr.  
(6) *aut.* — Om. Pr.

non autem in angelis; sed omne ( $\alpha$ ) peccatum in eis est per aversionem a fine ultimo, quod facit peccatum mortale; ex hoc enim angelus peccat, quod inhæret alieni bono creato, avertendo se a bono increato. » — Hæc ille. — Sic, in proposito, dico quod anima separata, omnia quæ vult, vult actualliter propter ultimum finem cui adhæret, sive voluntum sit finis, sive ad finem. Et quia anima damnata adhæret ultimate perverso fini, omnia alia refert actu et habitu ad malum finem; ideoque oīnus ejus volitio electiva, id est, non mere naturalis, est peccatum mortale; ac per hoc non potest esse dispositio, sed indispositio ad pœnitentiam et peccati remissionem et justificationem. De hoc etiam dictum est in responsione ad objecta Durandi.

Ad confirmationem, patet per idem; quia sola adhæsio ad malum finem non est sufficiens causa impenitentiae daminatorum, nec incompatibilitatis bonorum actuum secundum quid; sed perfecta aversio ab ultimo fine rectæ voluntatis, et perfecta adhæsio mali finis, et relatio omnium volitorum ad perversum finem actualis et habitualis, ut dictum est.

**Ad secundum** patet per idem. Quia sola finis necessaria adhæsio non est sufficiens causa illius incompatibilitatis, sed inseparabilitas affectionis finis et eorum quæ sunt ad finem: quia eodem motu voluntas animæ separate fertur in utrumque, ut dictum est; ideo nec anima beata potest velle malum secundum quid, sic quod illud velit male; nec anima damnata potest elective velle bonum secundum quid, sic quod illud velit bene.

**Ad tertium** respondet Petrus (dist. 21, q. 1), dicens: « Nunquam pœna ante quam culpa dimittitur, quia tamdiu durat obligatio ad pœnam, quamdiu culpa; et est contradictrio quod aliquis sit in culpa, et non sit dignus pœna. Hoc ergo non est quia ejus opus non sit Deo acceptum, sed quia non est acceptum ad hoc, vel quia ipse non ordinat ad hoc, vel, ordinando, intentionem deordinat. Sicut si dicat: *Volo pro verbo otioso quod dixi, dare eleemosynam, ut non sustineam aliam pœnam; non tamen pœnitet me dixisse, et propono iterum dicere*, contra rationem est haec voluntas, et est novum peccatum, pro quo meretur novam pœnam. — Ad quod dicendum quod, sicut in die septies cadit justus, sic septies resurget. Non enim requiritur in speciali contritio de venialibus; sed qualibet die perfectus ponitet de omni veniali, et in speciali de illis que memorie occurront; et sic contritio precedit satisfactionem; et potest evolare, quia in hac vita satisfecit. Ergo, quia culpa est in hoc quod facit bono quod non debet, vel omittit quod debet; per oppositum, culpa remittitur quando illud debitum quod faciebat culpam, remittitur.

( $\alpha$ ) *omne. — esse* Pr.

Hoc autem est quando voluntas prius deordinata, vel non ordinata ( $\beta$ ), reordinatur per contritionem. Non enim potest homo facere quin culpa fuerit; sed quando facit quod potest contra illud quod peccavit liberum arbitrium quo peccavit, dicitur culpa remissa; quia non plus dicitur facere contra debitum, ex quo, quantum potest, ad id quod est debitum revertitur. Sed quantum ad maculam, peccatum dimittitur, quando gratia ablata ( $\gamma$ ) restituitur, vel dispositio ad perditionem gratiae tollitur ( $\delta$ ). Sed quoad offensam, quando voluntas nocendi vel puniendi mutatur, non subjective ex parte Dei, sed objective ex parte creature. Hæc tamen omnia sint dicta sine assertione. » — Hæc Petrus, et bene quoad hoc quod dicit, quod impossibile est peccatum veniale prius remitti quoad pœnam, quam remittatur quoad culpam; et similiter quod perfectorum venialia, et aliorum cum usu rationis exequuntur de hac vita cum charitate; remittantur communiter in hac vita.

Unde beatus Thomas, *de Malo*, q. 7, art. 11, sic dicit: « Ad hujus questionis evidentiam, oportet preintelligere quid sit peccatum remitti. Quia nihil aliud est quam peccatum non imputari; unde, in Psalmo 31, cum premisisset (v. 1), *Beati quorum remissæ sunt*, etc., quasi exponens, subdit (v. 2), *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*. Imputatur autem peccatum alicui, inquantum per ipsum impeditur homo a consecutione ultimi finis, qui est beatitudo aeterna; a qua impeditur homo per peccatum, et ratione culpe, et ratione pœnae. Ratione culpe quidem: quia, cum beatitudo aeterna sit perfectum hominis bonum, non compatitur secum aliquam bonitatis minorationem; ex hoc autem ipso quod aliquis actum peccati commisit, incurrit quamdam boni minorationem, inquantum effectus est vituperabilis, et indecentiam quamdam habens ad tantum bonum. Ex hoc vero quod reus est pœnae, etiam impeditur a beatitudine perfecta, quæ omnem dolorem et pœnam excludit: *fugiet enim ibi dolor et gemitus*, ut dicitur, Isaiae 35 (v. 10). Utrumque tamen horum aliter impedit in peccato veniali, et aliter in peccato mortali. Nam, in peccato mortali, patitur homo bonitatis minorationem per privationem principii ducentis ad finem, scilicet per privationem charitatis; sed, in peccato veniali, patitur homo minorationem et impedimentum per quamdam indecentiam actus ( $\delta$ ), quasi impedimento existente in ipso actu ( $\epsilon$ ) quo pergeendum erat in finem, salvo tamen principio inclinante: sicut etiam grave potest impediri ne perveniat dorsum, vel propter corruptionem gravitatis in ipso,

( $\alpha$ ) *ordinata. — reordinata* Pr.

( $\beta$ ) *gratia ablata. — si gratia ablata est* Pr.

( $\gamma$ ) *tollitur. — Om. Pr.*

( $\delta$ ) *in quo. — Ad. Pr.*

( $\epsilon$ ) *vel quo impeditur actus. — Ad. Pr.*

vel propter aliquod impedimentum obstaculi occurrentis, quo impeditur motus ejus ne ad finem naturalem perveniat. Ex parte etiam reatus poenae est differentia. Nam, per peccatum mortale, meretur, quasi inimicus effectus, poenam exterminantem; per peccatum vero veniale, poenam corrigentem. Aliter ergo remittitur peccatum mortale, et aliter veniale. Nam, quoad culpam, ad hoc quod peccatum mortale non imputetur, oportet quod tollatur impedimentum, quod erat ex corruptione principii, per novam charitatis et gratiae infusionem; hoc autem non requiritur in peccato veniali, quia charitas manebat, sed oportet quod tollatur impedimentum per aliquem fortē impulsū repugnantem impedimento quod erat appositorum ex obice venialis: sicut impedimentum quod contingit ex gravitatis corruptione, non potest tolli nisi per iteratam generationem ejusdem; impedimentum vero quod erat ex aliquo obice opposito, tollitur per aliquem violentum motum removentem ipsum obicem. Sic ergo et veniale, quantum ad culpam, remittitur per fervorem charitatis; mortale vero, per gratiae infusionem. Quantum ad poenam autem, peccatum mortale non remittitur, quia habet poenam interminabilem et aeternam; peccatum vero veniale dimittitur per exsolutionem poenae temporalis finitae. Et hoc quidem quomodo utrumque possit remitti in hac vita, satis manifeste appareat. Sed, in futura vita, mortale peccatum non potest remitti quoad culpam: non enim post hanc vitam anima mutatur essentiali mutatione per gratiae et charitatis infusionem de novo; culpa autem non dimissa, nec poena remittitur. Sed de peccato veniali quidam dixerunt quod in habentibus charitatem semper dimittitur in hac vita, quantum ad culpam; sed, quantum ad poenam, dimittitur post hanc vitam per poenae solutionem. Sed hoc quidem satis probabile videtur in his qui cum usu rationis ex hac vita decedunt: non enim est probabile quod aliquis in charitate existens, et cognoscens mortem sibi imminente, non moveatur motu charitatis et in Deum et contra omnia peccata que fecit, etiam venialia; et hoc sufficit ad remissionem venialium quoad culpam, et fortassis etiam quantum ad poenam, si sit intensa dilectio. Sed quandoque contingit quod aliqui in ipsis actibus peccatorum venialium, vel in proposito venialiter peccandi, preoccupantur somno vel aliqua passione auferente usum rationis, et (z) prieveniuntur morte antequam possint habere usum rationis. Quibus manifestum est quod venialia non remittuntur in hac vita; et tamen propterea non impeduntur perpetuo a vita aeterna, ad quam nullo modo perveniunt, nisi omnino immunes effecti ab omni culpa. Et ideo oportet dicere quod venialia remittuntur eis post hanc vitam, etiam quantum

ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis, etc., » ut recitatum est in probatione primae conclusionis.

**II. Ad argumenta Scotti.** — Ad objecta Scotti contra eamdem conclusionem, dicitur primo, quod sanctus Thomas non ponit quod peccato veniali debeat de peccato se poena aeterna; sed illam opinionem tenet Hervaeus. Ideo conceduntur **argumenta** Scotti contra illam opinionem adducta; nisi quod in *prima ratione* assumit falsum, scilicet quod peccatum mortale post cessationem actus non relinquit nisi tantummodo reatum, vel debitum poenae. Hoc enim falsum est: quia, praeter reatum, relinquit maculam, et corruptionem boni naturae, et offensam, seu culpam, ut alias (dist. 14, q. 1, et dist. 16, q. 1) dictum fuit.

Ad **argumentum** vero quo vult probare quod peccato veniali non debetur poena aeterna per accidens, quando conjungitur mortali, — dicitur quod ad illa duo que implicantur in arguimento, respondeat sanctus Thomas, *de Malo*, q. 7, art. 10. Nam ibi arguit sic, septimo loco: « Deus semper punit extra condignum; unde et in Psalmo (76, v. 10) dicitur quod non continet in ira sua misericordias (z) suas. Sed poenam peccati venialis Deus non mitigat in futuro quoad acerbitatem: quia poena purgatorii est major qualibet poena praesente, ut Augustinus (in Psalm. 37) dicit; et multo magis poena inferni. Ergo mitigat eam quantum ad durationem. Non igitur peccatum veniale mortali coniunctum aeternaliter punitur. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod poena peccati venialis, etiam cum in inferno punitur, mitigatur quantum ad acerbitatem; quamvis gravius puniatur quam ab homine puniretur; quia majorem gravitatem habet secundum quod comparatur ad Deum, prout punitur a Deo, quam secundum quod comparatur ad hominem, prout punitur ab homine. » — Haec ille! — Ex quibus patet responsio ad primam partem argumenti.

Ad secundam similiter patet responsio ex dictis ejus ibidem. Arguit enim sic, secundo loco: « Sicut dicitur, *Deuteronomio*, cap. 25 (v. 2), pro mensura delicti erit plagarum modus. Sed peccatum veniale non sit maius ex eo quod conjungitur mortali. Ergo non punitur majori poena. Sed quando est sine peccato mortali in habente charitatem, non punitur poena aeterna. Ergo nec mortali adjunctum poena aeterna punitur. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod acerbitas poenae directe respondet quantitatati peccati. Sed aeternitas poenae respondet indelebilatati illius; quae quidem aliquando convenit veniali peccato per accidens. » — Haec ille. Item, in solutione quinti,

(a) et. — id est Pr.

(z) misericordias. — minus Pr.

sic dicit : « Non propter majoritatem culpe ipsius venialis, peccatum veniale conjunctum mortali diutius punitur; sed propter indelebilatatem, que provenit ex adjuncto. » — Hae ille. — Similia dicit, 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 87, art. 5, in solutione secundi et tertii. Dicit enim sic : « Peccato originali non debetur pena aeterna ratione suae gravitatis, sed ratione conditionis subjecti, scilicet hominis qui sine gratia invenitur, per quam solam sit remissio penae. — Et similiter dicendum est ad tertium, de veniali peccato. Aeternitas enim poena non respondet quantitati culpe, sed irremissibilitati illius, ut dictum est (1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 87, art. 3). » — Hae ille. — Ex quibus patet ad secundam partem argumenti.

Ad argumentum contra quæstionem (α), patet responsio per dicta in probatione primæ conclusionis. Potest etiam dici quod post hanc vitam est actus contritionis; qui tamen non est meritorius, sed tantum remotivus impedimenti beatitudinis. Unde sanctus Thomas, *de Malo*, ubi supra (q. 7), art. 11, in solutione secundi, sic dicit : « In futura vita non erit aliqua essentialis mutatio voluntatis, scilicet quantum ad finem, vel quantum ad charitatem vel gratiam. Potest tamen esse aliqua accidentalis mutatio voluntatis, per remotionem impedimenti: nam removens prohibens, est movens per accidens, ut dicitur in 8. *Physicorum* (t. c. 32). » — Hæc ille. — Et ad idem potest referri illud quod dicit, 4. *Sentent.*, dist. 17, q. 2, art. 4, in solutione tertiae quæstiunculae, ubi sic dicit : « In contritione consideranda sunt. Primum est contritionis genus, quod est dolor. Secundum est contritionis forma, quia est actus virtutis gratia informatus. Tertium est contritionis efficacia, quia est meritorius, et sacramentalis, et quodam modo satisfactorius. Animæ ergo post hanc vitam, quæ in patria sunt, contritionem habere non possunt; quia carent dolore, propter gaudii plenitudinem. Ille vero que sunt in inferno, carent contritione; quia, etsi dolorem habeant, deficit tamen eis gratia dolorem informans. Sed illæ que sunt in purgatorio, habent dolorem de peccatis gratia informatum, sed non meritorium, quia non sunt in statu merendi. In hac autem vita, omnia tria prædicta inveniri possunt. » — Hæc ille. — Ibidem etiam dicit, in solutione secundi, quod « animæ in purgatorio dolent de peccatis; sed ille dolor non est contritio, quia deest ei contritionis efficacia. » Item, in solutione tertii, dicit quod « pena illa quam animæ sustinent in purgatorio, non potest proprie dici satisfactio, quia satisfactio opus meritorium requirit; sed largo modo dicitur satisfactio penæ (6) debite solutio. » — Hæc ille. — Ex quibus apparet quod ipse videtur sensisse quod in purgatorio non est contritio univoce

dileta cum ea quæ est in hoc saeculo, nec satisfactio, nec meritum univoce ut hic. Potest ergo dici breviter, quod ad deletionem venialis in purgatorio sufficit actus charitatis in Deum, detestativus peccatorum venialium in hæc vita commissorum, sive talis actus dicatur proprie et univoce contritio, sive non, sive sit meritorius, sive non.

Et hæc de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

## QUESTIO II.

UTRUM IN QUOLIBET CASU TENEATUR SACERDOS CELARE PECCATA QUÆ SUB SIGILLO CONFESSIONIS NOVIT

**S**UXTRA eamdem distinctionem iterum queritur: Utrum in quolibet casu teneatur sacerdos celare peccata quæ sub sigillo confessionis novit.

Et arguitur quod non. Quia magis debet homo servare conscientiam suam quam famam alterius; quia charitas ordinata est. Sed aliquando aliquis peccatum celans, incurrit proprie conscientie detrimentum; sicut cum in testimonium adducitur pro peccato illo, et cogitur jurare de veritate dicenda. Ergo videtur quod in aliquo casu licet confessionem publicare.

In oppositum arguitur. Quia dicit decretalis, *de Penitentia et remissionibus* (cap. 12): *Caveat sacerdos ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.*

In hæc questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

### ARTICULUS I.

#### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio: Quod sacerdos debet celare peccata sibi confessa.**

Hanc ponit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 3, art. 4, q<sup>a</sup> 4. Quam probat sic: « In sacramentis ea quo exterus aguntur, sunt signa rerum quo interius contingunt. Et ideo confessio, quo quis sacerdoti se subjicit, signum est interioris quo quis Deo subjicitur. Deus autem peccatum illius qui se ei subjicit per penitentiam tegit. Unde

(α) quæstiunculae conclusionem Pr.  
(6) penæ. penitentia Pr.